

7

# ANNALIVM POLO<sup>ꝝ</sup>

NICORVM QVI IN LVCEM  
PROPEDIEM ÆDENTVR BREVIS-  
SIMA SYNOPSIS.

\*

Habes h̄ic anteriorem partem Chronicorum hacte-  
nus om̄issam, neglectam, ac propemodum sepul-  
tam ab aliis autoribus: quæ incipit ab illa fatali di-  
uisione Gentium, ab Aſarmoth conditore Sarma-  
tiorum Populorum, & continuatur usque  
ad Lechum ipsum, ordine per series  
temporum currendo.

*Et tandem à Lecho ad nostra tempora, quid in nostris  
terris actum sit fideliter octo libris  
exponitur.*

Cætera quæ in illo libro continentur, versa  
pagina indicabit.

*AVTORE STANISLAO SARNICIO  
Nobili Poleno.*

CRACOVIAE.  
¶ Typis Matthiae Wirzbietae.  
ANNO 1582. V.

7.

## ¶ Quæ expectanda sunt ex hac Historia.

1. Historia Polonica corpus reintegratum & perfectum, ex Hebraicis, Chaldaicis, Ægyptiis, Persicis, Græcis & Latinis Historicis & Cosmographis, hoc est: Historia Sacra, Beroſo, Manetone, Metastene, Herodoto, Xenophonte, Thucydide, Diodoro Siculo, Polybio Strabone, D. Paulo Apostolo, Philone, Iosepho, Ptolomæo, Cornelio Tacito, Plinio, Iornande, Procopio, &c. Ex Poetis vero: Homeris, Virgilio, Ouidio, & aliis posterioribus probatissimis auctribus.
2. De vera origine & antiquitatibus Gentis Polonæ, Lituanorum, Hunnorum, Russorum, Prussorum, Masouierum.
3. De limitibus veteris Sarmatarum temporibus Cyri, Darij, Alexandri Magni, Augufti, Traiani & aliorum Monarcharum. Et quanuis alter alterum longo intervallo temporis sequebatur; tamen consensus firmus inter eos ea in re demonstratur. Cognitio harum rerum digna certe Nobili Polono, & ipso Polonia summo Monarcha.
4. Contra, opinio noxia de veteri Germania ad Pontum, refutatur.
5. De Gentibus Sarmaticis: Gottis nimirum & Vandalis Hunnissis qui primi de Romanis cunctarum Gentium vlti sunt iniuriam.
6. Polonia recens descriptio cum vetufis Ptolomæi tabulis conciliatur.
7. De Religione & literis Sarmatarum, Slauorum sine veterum Polonorum.
8. Vtque statim vsus Historiae melius cerni possit, addita est scientia campi ductoriarum technicarum in artem redacta, & imaginibus effigießimis illustrata.

LXXXVIIA

w. 2722

P. Kar. 1287

AD SERENIS-  
SIMVM ET INCLIV-  
TVM PRINCIPEM STEPHANVM  
Dei Gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litua-  
niæ, Russiæ, Prusiaæ, Masoviæ, Samogitiæ, Li-  
uoniacæ, &c. Principem Transylvaniæ.  
Dominum suum Clementissimum,  
PRO O E M I V M.



V M viderem Germanos, Italos, Hungaros, atq; Hispanos, ab ipso diluio, maiorum suorum res gestas scribendo auspiciatos esse, s; p; mirabar, ac ferè stomachabar, cur nostri Historici, Gentium tantarum & tam amplissimarum, tam vile & à tam breui tempore exordium sumpserint. Ita enim assueuerunt, vt cum aliquid breuiuscule & raptim de iis rebus præfatí fuerint, statim ad Lechum delabantur, atque ibi desiderium suum compleentes, mox studio deflagrant. Quasi verò gentes linguae Slauonicæ, quæ à Ponto ad Oceanum occidentem versus, ab Adriatico ad Glaci,

A . 2

ale Septem,

ale Septemtrionem tendendo, antea in mundo non  
fuerint, & nunc primum ante hos octingentos annos, veluti ab ovo exclusæ in lucem prodierint. Ne  
gari ergo non potest nos acephalā & imperfectam  
Historiam hactenus habuisse. Expectabamq; ego  
& cupiebam ut aliquis fertiliore ingenio, & fœlicio,  
re vena prodiret, qui ab hac infamia nostram Rem  
publicam eximeret, expectationiq; eruditorum hac  
in re satisfaceret: Sed cum nemo apparuit qui nobis  
præiret, ego quæ in meo Musæo habeo, dum vita  
superest, emittam. Fateor equidem magis hæc alii  
cuī doctorum, qui in academiis & monasteriis inter  
Musas, velut in Gynæceo formosissimarum virgine  
num habitant conuenisse, quam mihi cui si quid in  
genioli est, in mediolaborum æconomicorum exar  
ruit. Sæpius enim mihi cum aratro, buri, atq; securi  
negotium est quam cum plectro Musarum. Ut vt  
tamen se res habet, tanto maiore venia apud pro  
bos & Cíviles iudices dignus ero, quanto plura ar  
gumenta excusationis mihi suppetunt. Sed dum  
rem tantimomenti nouamus, putabunt forsan ali  
qui nos sub Vaticano aut potius Vauello, monte vi  
delicet arcis Cracoviensis, noua aliqua Chronica  
plumbæ ar-

plumbeæ arcæ cereisq; inuoluta, vt Cicero alscubí  
de librís Sibyllinís inquit, reperiisse, atque ita præiu  
dicio nos grauantes clamabunt, rem impossibilem  
factu nos moliri. Sed isti cum perlegerint hoc no  
strum opus, rem multo mirabiliorē & prodigio,  
si rem ausos esse deprehendent, quām si in visceris  
bus terræ defossum librum reperisssemus. Nam sicut  
ti Medeæ ossa dispersa recolligere, & vt rursus coa  
lescant in vnum corpus componere impossibile est,  
ita laciniæ huius Historiæ consuere & reintegrare  
non minoris operæ precij est. Proh quanta varietas  
hic scriptorum est dum originem nostram expli  
cant: alij nos ad Ionas & Henetos orientem versus  
referunt, alij ad Germanorum Tuysconem in occi  
dentem, alij ad Illyrios meridiem, alij ex Roxola  
niæ solitudinibus arctois nos educunt. In tanta in  
quam turba & varietate sententiarum, cum animad  
uerterem natalium nostrorum originem in dubium  
vocari, cerneremque patrum patriæ nostræ, Me  
dex exemplo crudeliter dissecta & disiecta membra  
per campos æquora & montes, manib; & dígítis  
meis reuerenter recollegi, & quæ erant male cohæ  
rentia coaptauī, ac velutī in vnum corpus vt rursus

coalescerent feci. Non quidem ausim promittere se  
riatim non interrupto ordine, vnum Monarcham  
post alium me potuisse enumerare, hoc enim pro-  
pter progressiones & multiplices migrationes Gen-  
tium, variasq; mutationes Rerum Publicarum, im-  
possibile factu videtur: Sed tamen pro virili cona-  
tus sum omnia reintegrare complanareq;, ad regu-  
lam chronologicam ac cosmographicam singula  
examinando, seruata, interim maiestate vniuersalis  
Historiae quæ veritas est. Interim eliciendæ verita-  
tis causa contuli vetera cognomina gentis, monti-  
um, syluarum, & fluuorum cum narrationibus Hi-  
storicorū, & quæ videbantur veritati respondere,  
studiose consignauī, maximē vbi circumstantiæ re-  
bus ancillari videbantur. Adhibui narrationes ma-  
iorum, quæ videbantur per manus esse traditæ,  
quasq; etiam aliarum Gentium extranearum auto-  
ritas suo calculo comprobare videbatur. Hos in-  
quam tres testes, elaborando huic operi comprimis  
mihi deposito. Ne quis autem existimet, me mordi-  
cus velle mea tueri, iudicio eruditorum omnia subi-  
scio. Corrigant illi & meliora efficiant, postquam  
eis primam glaciem fregi. Interim meo instituto &  
laboribus

laboribus faueant & admodulentur precor. Certe  
volui prodesse patriæ, vetustatem nobilitatemq  
natalium eius & originem, non ex fabulis petitam,  
ut hactenus factitatum est: sed genuinam demon-  
stravi, Maiores nostros non aduenas, nec inquili-  
nos in terra aliena sed indigenas, à seculis regiones  
has incolere ostendi. Interregna duo: alterum post  
Lechum, alterum post Grachum, quoadfieri po-  
tuit expleui, depuli omnes criminationes quæ pars  
tim iniuria temporum, partim malignitate quo-  
rundam immerito nostræ genti inustæ erant. Con-  
tra, quæ furtiuo animo, quidam nobis quæ nostra  
erant decora adimere, & suis adaptare conabantur  
detexi. Adhæc, Historiam quæ erat deprauata,  
turbata, truncata & inuoluta reintegraui, caputq  
ei augustius cum facie venerabili adieci & appli-  
caui, ita vt si quis hæc nostra, Historiæ Matthiæ  
Miechouiensis, & D. Cromeri adiiciat & accom-  
modet, vno intuitu omnes Duces nostrarum Gen-  
tium, non à Lecho tantum: sed ab ipsis primordiis  
is, veluti exercitum speciosissimum in clypeo Ao-  
chillis exsculptum, cernere queat. Hos ergo labo-  
res meos, sicut antea Orationem prolege electio-  
nis. Deinde

nis. Deinde commentarios bellorum operum, tertio Triumphantum victoriarum S. M. tuæ. Nunc vero Annales Regni huius Majestati tuæ offero. Perpetuebant hæc semper ad Reges: non modo fines patriæ defendere, sed etiam famam suorum maiorum quantum in eis est tueri. Hæc enim est stabilissimum Rerum Publicarum, ab hac SLAVI, veteres Poloni denominabantur Slavi. Mouemur autem naturaliter quadam physica storga seu affectione filiali ut aude res Patrum gestas ab aliis audiamus, & ipsimet easdem cæteris prædicemus. Cum autem M. V. præcipuus sit Ciuis huius Republicæ, immo Pater Patriæ & supremus gubernator, eadem soli citudine Majestatem Vestram distineri, de hisque rebus libenter audire & legere, mihi nullum dubium relinquitur.

M. V.

Fidelis subditus

Stanislaus Sarnicus,

# PRÆFATIO IN LI- BRVM PRIMVM, IN QVA STA, tus rei explicatur, & modus ratioꝝ negotij ab autore suscepti exponitur.



RGumentum operis ex titulo quem  
libro huic præfiximus, attentus Le-  
ctor optime intelliget, intentionem au-  
toris procœdium ad R. M. factum a-  
bunde suppeditabit. Porro diuisio o-  
peris totius, ex præfationibus breuiu-  
sculis quas singulis libris attexuimus, optime concipi &  
intelligi potest. Non est arbitrij scriptoris, res quas tra-  
ctandas suscipit vnde libet incipere, & vbi libet eisdem  
finire: sed à fontibus vnde demanant initium is sumat,  
& vbi aliquo insigni casu vel euentu abrumpuntur eas,  
dem diuidat oportet. At quoniam regnantibus in mun-  
do Princibus, qui Magnorum cognomen, ob res præ-  
clare gestas adepti sunt, semper maximæ omnium mu-  
tationes in orbe terrarum eueniebant, ideo quoꝝ nos  
horum octo librorum Historiam vniuersam diuidentes,  
totidem Princes delegimus, qui merito, iudicio anti-  
quitatis Magni vocantur. Quorum autoritatem secuti  
materiam hanc dígessumus, ac veluti eorum sceptro di-  
spescuimus. Incipimus ab Asarmoth nepote Noe, à  
quo Sarmatæ denominatisunt, & finimus librum pri-  
mum in Alexandro Magno, Quia tum Babylonica  
B monarchia

*monarchia, cum esset penes Persas, ad Græcos ab iisdem  
transiit. Rursus in Christi Domini aduentu, de quo  
ab Angelo prædictum fuit; Hic Magnus vocabitur, si-  
nem libri secundi facimus. Tertius tandem finitur in  
Constantino Magno. Quartus in Carolo Magno.  
Quintus in Othono Magno. Sextus in Cazimiro Ma-  
gno. Septimus in Stephano Primo. Octauus tracta-  
tioni Historiæ nostrorum temporum destinatur. Di-  
stinguunt alii libros suos per ætates, hinc nata sunt chili-  
ada, centuriæ, decades, olympiades. Sed talis tempo-  
rum diuisio res sæpe, non tam distinguit quam dirimit &  
in medio cursu dissecat. Vnde autem hæc methodus  
mihi in mentem venerit, quam veluti diuinam virgu-  
lam secutus, potuerim res tam conuolutas & antiquas  
*Methodus.* expedire & explicare restat dicendum. Evidem non  
sine magno labore id perfici potuit. Nam si difficile est  
orbitam inuenire, qua quis ante annum, per aliquas so-  
litudines transiuit, quid ante tot secula, in tanta confus-  
ione rerum tramitem verum inuenire, an non maioris  
est difficultatis? Primum ergo in hac inconstantia & in  
stabilitate rerum humanarum, reperi & deprehendi  
nullas Gentes in mundo esse, quæ ab initijs sui ortus ea-  
dem appellatione cognominarentur, exceptis Iudæis.  
Quanquam & hi nunc Hebræi, nunc Izraelitæ diuer-  
sis respectibus vocentur. Verbi gratia, Gentes illæ vbi  
nunc sunt Brutij, Romani, Neapolitani, Florentini, an-  
tea vocabantur à Veteribus Oenatrij vel Kithim, dein/  
de Itali, postea Latini, deinceps generatim Romanis.  
Vnde Poeta.*

*Terra antiqua potens armis, atq. vbera glebae.*

*Oenotrij coluer*

Oenotrij coluere viri, nunc fama minores,

Italam dixere Ducas de nomine gentem.

Sic Galli olim Celtæ, deinde Galli, postremo Franco-  
nes. Sic Hispani à suo Tubal Tubalitæ, deinde Iberi,  
postea Hispani. Sic Germani olim Tuylscones, deinde  
communi vocabulo cum Gallis Celtæ, ut ex Herodoto  
liquet, tandem Germani, postremo Almani. Et optimo  
iure, quæ gessere Tuylscones siue Celtæ siue Germani,  
tam generatim omnes quam prouinciatim per partes,  
hoc est seorsim Sueui, seorsim Francones, Longobardi,  
possunt sibi usurpare Almani. Sic quoq; quæ gesserunt  
Sarmatæ & Vandali & Slaunes, siue generatim o-  
mnes, siue prouinciatim per partes, videlicet Tirigetae,  
Visogoti, Ostrogotti, Iaziges, Iepidae, Vandali, Roxo-  
lani, aut Alanii, aut Basylj Sarmatæ, Poloni optimo  
iure possunt sibi vendicare. Cum omnes isti erant δυόγοι  
δυογλώττοι ut Strabo loquitur: Sed & δυόλακες & δυοιθνές  
Hoc est contermini, eiusdem linguae, gentiles & con-  
sortes, veluti hæredes dicuntur de uno asse. Nisi quod  
nisi qui primitus Sarmatæ vocabantur ab autore gentis,  
postmodum Vandali, tertio Slaui, vlti mo Poloni nun-  
cupati sunt. Et nominis mutatio nil detrahit rebus ipsis,  
nisi quod originales appellations postergat & abolet.  
Nam sicuti in Polonia inter Nobiles, consuetudo illa  
immutandi gentilicia cognomina iuxta possessiones  
quæ eis obtigerunt, obliuionem inducit familiarum &  
rerum memorabilium, quæ aliquando gessere eorum  
antecessores, ita fere quod in partibus, hoc etiam in to-  
to videre licet. Nam quod Nobilibus Polonis, hoc toti

Poloniæ accidit, dum non retinent antiqua & hæreditas  
ria cognomina: Sed iam Sarmatæ, iam Vandali, iam  
Slaui, iam Poloni appellantur. Vnde autem hæc in  
constantia cognominum promanet, diligentius expé-  
denti facile causa patebit, si quis suas cogitationes ad  
**Permuta-** illam regulam Grammaticorum contulerit, cum tra-  
**tio cogno-** dunt gentes vocari potissimum à quatuor causis, à du-  
**minū vn-** cibus, à stirpe, à studijs, à consuetudinibus & à conditi-  
**de proue-** onelocorum. A ducibus quidem, ex quorum prosapjns  
**niat.** gentes illæ promanant & descendunt: vt Romani à  
Romulo, Cechi à Cecho, Sarmatæ ab Asarmoth. A  
prioribus incolis in quorum sedes noui hospites succe-  
sserunt: vt Boemi à Bois antecessoribus suis, qua etiam  
ratione Vandalos Sarmatas dicere licet, quod ex Asia  
in Europam transmigrarint: & maximam partem Sar-  
matiarum, ei sese admissentes occuparint teste Ptoloi-  
mæo. A studijs & consuetudinibus, vt Heneti aut Ve-  
nedi, seu Vandali dicti quasi vagabundi, quod sæpius  
commigrantes, solum vertere assueuerant. Ab euentu  
etiam non raro cognomina nationibus imponuntur, vt  
iidem populi οὐογλῶτοι id est, linguae eiusdem, Slauo-  
nes dicti ab illa confœderatione, quam temporibus illis  
difficilimis inierant, vt se munirent aduersus potentis-  
am Romanorum, qui eis vtricia arma minabantur, eo  
quod paulo ante sobolem suam, Gottos nimirum &  
Vandalos contra eos armarint, ac ex se in eorum exiti-  
um emiserint. Itaq; vt durabiliore & validiore præsi-  
dio eis obsistere possent, quotquot erant vnius linguae  
nationes, nempe Vandali, Alani, Antæ, & postea Bul-  
gari, Rascii, Bosnenses, Croatæ, Sorabi in eorum per-  
niciem con-

Lib. 3.  
Geogra.

niciem coniurant, & ad idem ut Scholares loqui solent,  
veluti dato signo ad arma concuriunt, atq[ue] in vnum glo  
bum cum strepitu gladiorum ex omnibus angulis sese *Slauonū*  
proripientes, vndique corrogatis auxiliis conuolant, vni/  
de nomen Slauonum mortum est. A situ etiam locorum  
sæpius induntur nomina gentibus: vt Transsyluanī,  
Transalpīnī, Cisalpīnī, Tirigetæ, Tissigetæ, Renisar/  
matæ, Pedemontij &c. Sic apud nos Podolij, Podgorij,  
Pomerani, adde & Poloni. Nam Podolij dicti sunt à  
doli vel padoli, quod vallem illam secundum Tiram  
flumen occuparint. Licet Ptolomæus in descriptione  
Daciæ, Poloda mentionem faciat, quod ego Podola le/  
gendum putarim. Sed Ptolomæus homo Græcus ele/  
gantiæ studendo, maximè omnium scriptorum vocabu/  
la locorum & nationum corrumpere solet. Sic Podgo/  
rij olim Bastarnæ vt ego reor dicti, quod ad radices  
montium Sarmaticorum consederint. Sic Podlasii qua/  
si subsyluanos dicas, quod saltus illos occuparint, olim  
Iaziges, vt quibusdam placet. Si quis autem à Lechi co/  
gnomine denominatos contendat, nemini litem hac de/  
re mouebo. Sic Pomerani, id est, maritimi, quod ad  
saltus maris Sarmatici consederint. Omnes ergo istæ  
voces, Podolii, Podgorij, Podlasii, Pomerani, Pouafii, *Polonoriū*  
*Posanij*, Pomrozij, sic & Poloni, figuræ sunt compositæ *nominis e-*  
& congruunt ad Regulam vñitatisimam linguæ Polo/  
nicæ, quæ particula po, id est, iuxta significante, vicini/  
am, & conditionem illius loci, qui voce ei agglutinata  
exprimitur indicat. Interim si quis Polacos, id est, po/  
steritatem Lechi, dictos esse putat non repugnabo: sed  
illa expositio videtur esse simplicior, amabilior, magis  
natua,

**Libro De rebus Ge-  
ticeis.** natiua, linguaeque nostrae familiarior. Et Iornandis auto-  
ritate fulciri potest: Vinidarum inquit, natio populo/  
fa ad Vistulam consedit, quorum nomina licet nunc per  
varias familias & loca mutantur, principaliter tamen  
Slauini & Antæ vocantur. Est autem prima hæc men-  
tio Slavorum in Historiis. Sed hic veluti scrupulosior  
quæstio emergit: Quæ causa tandem fuerit ut prouin-

**Cur pro-  
vinciae a-  
iure vten-  
tes Polono-  
rum nomi-  
ni includū-  
tur.** ciæ illæ, quæ nominibus diuersis à situ locorum distin-  
ctæ erant, progressu temporis in nomen Polonorum  
abierint. Ego existimo eadem ratione factum, sicut os-  
lim Ligures, Arpij, Tuscani, Brutij, Latij, Romani  
generatim dicebantur, ideo nimirum, quod incolæ il-  
lius loci, & fama rerum gestarum, & vrbis celebritate  
alias antecellebant prouincias. Sic Almani olim, pro-  
priè dicebantur populi illi qui ad Rhenum habitabant,  
nunc autem quicunque Germanica lingua vntuntur, in  
nomen hoc veluti compulsi abierunt. Sic Moschi vi:ta:  
to more, cuncti populi septentrionaliores nunc vocan-  
tur, cum tamen id nomen prouincie cuiusdam borealis  
antea fuisse constat. Sed quia Danielis Ducis temporis  
bus, incolæ illius loci opibus & armis, cunctos huius  
gentis populos superabant, ideo omnes alias prouincias  
iuxta & ducatus in nomen suum compulerunt. Eadem  
ratione gens Venedica, quæ campestria ad Istulam in-  
colebat, cunctas alias Tribus, suo nomine veluti aquila  
pullos alis suis complexa est, ideo quod hic in istis planis  
ciebus, antiquitus de summa rerum statuebatur, hic sta-  
bilimentum Reipublicæ præcipuum, cum pleraque ai-  
lia sylvis & solitudinibus referta erant, hic ad Gnesnam  
atque Cruficiam, Lechi & Piasti temporibus deliberati-  
ones exi

ones expediebantur, comitia celebrabantur, hic sedes Regia, hic sedes Religionis, Tempa Basilicæ augustiores, locus amènior salubrior fertilior, & gens locu pletior, hic regio magis habitabilis. Eò quod quique prouidi generosiorisq; animi, malebant sibi sedes elige, re in istis locis, partim ob uicinorum Germanorum, Bos hemorumq; fidelioram amiciciam, partim etiam ob maris & portuum commoditates, quibus hæ regiones supra alias abundabant. Ut vt tamen se res habet, certe Polo nni non possunt se à Slauorum origine eximere, nec Slavi à Vandalorum, & omnes hi in Sarmatarum stirpe co augmentantur. Et quanquam inter tot & tantas mutationes, intercedere poterant excidia, vastationes, & fera bella, tamen res ipsa docet post diluuium, & fædus illud cum Noach Patre futuri seculi ictum, nullam Gentem stirpitus à quoquam, quantumuis acerbissimo hoste, ita exterminari potuisse, ut eius aliqua soboles non remaneret, ex qua denuo priores prosapiæ resuscitarentur. In bellis, militares viri potissimum exciduntur, at lege gentium sacrato ordini, colonis, pueris, senibus & fæmineo sexui parcitur. Propterea quod iij à conscelerati one immunes esse præsumuntur, & pacem potius quam bella expetere è re eorum est. Itaque si inter eos grassata est cædes aliquando, ex istis ordinibus stirps veterum indigenarum optimè potuit renasci & conseruari. Ergo Sarmatæ à Venedis, nec Venedi à Slavis poterant ita de leri ac eradi, ut seminarium ex reliquiis priorum gentium nullum suppullulare posset. Sarmatarum quidem nomen celebrius est usque ad Alexandri Magni tempora, & paulò ulterius. Venedorum usque ad tempora

Honorij

Lex Gen-  
tium.

Honorij & Arcadij, quando Vandali & Gotti orbem  
terrarum ferro & igne concusserunt & comminuerunt.  
Slauorum, post illas expeditiones fatales Gottorum &  
Vandalorum syncretismus & confederatio nata est, &  
durauit usque ad Caroli Magni tempora, quando iam  
nomen Polonorum innotescere mundo, virtus rutilare  
coepit. Sed tamen nulla gens in orbe terrarum de rebus  
gestis, tam a Sarmatis quam a Vandalis, addit & Slavis  
iustius gloriari potest, quam haeredes ipsi, hoc est, iij qui  
intra veteres limites, in gremio paterno, sub eadem pla-  
ga mundi considerant, quique ex eorum lumbis & san-  
guine progeniti eandem auram capiunt, hoc est, ipsi Po-  
loni. Si igitur haec omnia, quae in medium allata sunt in  
vnum comportauerimus, res ipsa exprimit veritatem,  
optimo iure nos fecisse quod ex Historia Sarmatica,  
Venedica, Slauonica & Polonica, non nihil & Gottis  
cam attingentes, vnam harmoniam consecimus, seriem  
que Historiae per haec maxima spacia temporum reinter-  
grauimus. Cum haec Gentes licet nominibus inter se dis-  
ferant, re ipsa tamen pro eodem populo censeri meren-  
tur & debent. Si quis tamen rem accuratius expendat,  
credibilis videtur ex Sarmatis agricolas, ex Henetis  
verò equestrem ordinem prodijse, quod facies ipsorum  
liberales & lineamenta, indices generosioris animi, te-  
stantur. Quae omnia mox clariora erunt ex sequentiis  
bus, cum peculiares tractationes de Sarmatis, Gottis,  
Vandalis & Henetis, à nobis in eo cuius me minimus  
opere instituentur. Bene vale optime  
Lector.



# Liber Primus.

## IN QVO EA QVÆ

ACTA SVNT CVM CONDITO-

ribus Slavonicorum Populorum, ab Asarmoth à quo  
Sarmatæ, usque ad Alexandri Magnitem,  
pora traduntur.

De temporibus divisionis Gentium,  
sub Principe Pelek & Asarmoth.

De temporibus Mosis.

Temporibus Iosue.

Temporibus Gedeonis,

Temporibus Saulis & Dauidis.

Temporibus Nabuchodneser Babylonij

De temporibus Cyri Regis Persarum.

Temporibus Darij Regis Persarum.

Temporibus Darij vltimi.

<i>Anni ab Olym orbe con- dito.</i>	<i>piadū Anni.</i>
1757.	
2377.	
2498.	
1660.	
2857.	
3347.	39.
3425.	58.
3449.	64.
3635.	111.

*Compositum nunc secundum Hebreos*

3

C

# Liber Secundus.

## IN QVO EA QVÆ ACTA SVNT IN IIS TERRIS AB ALEXANDRO MAGNO AD IULIUM CÆSAREM & POMPEIUM LEXANDRO MAGNO AD IULIUM CÆSAREM & POMPEIUM MAGNUM COMPREHENDUNTUR.

### PROOEMIVM.



ITulus ipse libri indicat causam cur hic subsistendum Lectori, & in medio quasi cursu respirandum censuerimus. Tunc enim Babylonicum imperium a Persis ad Graecos translatum fuit, unde grauissima bella secuta sunt, & vniuersa gubernatio in orbe terrarum immutata fuit. Duravitque circiter annos 300. Vocantur autem hi Príncipes MAGNI per excellentiam, non tantum ob res bellicas, quamquam & haec magna sunt: Sed a rebus aetatis & auctis, domi, foris, pace & in bello, hoc est quod excelluerunt virtutibus, æconomicis, politicis, bellicis, adde & ecclesiasticis, pietate inquam, & fusticia. Tales merentur dici inter Christianos: Constantinus

stantinus Magnus, Carolus Magnus, Otho Ma-  
 gnus, Casimirus Magnus Rex Poloniæ. Inter  
 Gentes verò: Cyrus, Iulius C. Alexander Magnus  
 qui tale meruit præconium: Prouocauit, inquit ut  
 strenuus, æquiparauit vt meritus, superauit melior,  
 solusq; fine æmulatione clarus, adeò vt nemo vir-  
 tutem eius superare vel optare saltem fortunam  
 eius, ausus fuerit.

	Anni ab Olym- orbe con- dito.	piades
De temporibus Alexandri Magni sum- mi in orbe Monarchæ,	3636.	111.
Post Alexandrum Lysimacho domi- nante.	3684.	123.
Temporibus quatuor bellorum quæ ges- sere Romani cum Illyriis & Myridate Rege Ponti.	3793.	150.
De temporibus Iulij Cæsaris cum Ma- gno Pompeio.	3924.	183.

# Liber Tertius.

## IN QVO EA QVÆ ACTA SVNT IN IIS TERRIS

*ab Augusto ad Constantini Magni tempora  
comprehenduntur.*

### PROOEMIV M.



VID librorum nostrorum distinctionem Imperatoribus iis tribuimus qui non sine prefatione honoris Magni vocantur causa est: quod regnantibus ipsis maximæ mutationes in mundo fiebant, quæ cursum huius historicæ narrationis abrumunt. Ideo hinc iure auspiciabimur librum tertium, cum Pompeius Magnus statim præcessit hæc tempora. Major tamen Pompeio fuit Iulius, qui ab eo fuit superatus: sed utrisque Maximus est Saluator noster, quod ille fuerit domitor cœli, & terræ. Ideo ei ab Angelo nomen Magni inditum fuit. Et tunc mutationem longe maximam mundus expersus est.

De tempo,

De temporibus Augusti Cæsar is ex sacris  
& prophanis autoribus.

Post tempora Augusti regnante Tiberio.

C. Domiciano regnante.

Regnante Traiano Imperatore & ibidem  
de Valachorum origine.

Regnante Adriano. Tractatio inseritur de  
vetustis limitibus Sarmatiæ Europeæ admo-  
dum vtilis & iucunda, dignaq; cognitione  
cuiusuis Nobilis Poloni. Adhac Topogra-  
phia veterum cum descriptione Poloniæ no-  
strorum temporum conciliatur, Lateris Se-  
ptemtrionalis, lateris meridionalis, occiden-  
talis & orientalis quæue introrsus sita sunt  
describuntur.

Sub Antonio Pio.

Marci Antonini temporibus,

De temporibus Pertinacis, Seueri, Gordiani

Philipi Arabis.

Aurelio Imperatore regnante,

Imperatore probo Augusto,

Sub Caro Narbonensi,

Anno mūdi  
1929. olymp.  
185. an. Chri.

15.

84.

116.

120.

146.

166.

194.

270.

280.

288.

Liber

# Liber Quartus.

## IN QVO EA QVÆ ACTA SVNT A TEMPORIBVS

*Constantini Magni ad tempora Caroli Magni com-  
prehenduntur.*

### PROOEMIVM,



OC tempore commigrante Constantino Constantinopolim, à Romanis ad Græcos imperium translatum fuit. Vnde eò tempore maxima mutatio secuta est. Ergo hinc librum quartum auspiciabimur. Quidéç secum hæc commigratio attulerit mox apparebit.

De CONSTANTINI Magni temporibus, quid in hisce terris actum sit.

313.

De Valentiniani temporibus.

367.

De Valentis temporibus.

380.

Theodosii Primi temporibus.

390.

DE GOTI

DE GOTTIS GENTE SARMA,  
tica & eorum Regibus.

Syrmius, Adulphus,  
Diurpaneus, Vitiges,  
Alarichus, Varfestus,  
Theodatus, Athanarichus,  
Dromichetes,, Theodorichus,  
Canabus Thotilas,  
Theias.

EX VANDALICIS REGIBVS,  
sic legitime adiiciuntur Regibus  
Polonorum.

1. GANDARICHVS,	433.
2. GENSERICHVS,	
3. HONORICHVS,	
4. GVNDABVNDVS,	488.
5. TRASIMVNDVS,	498.
6. ILDERICHVS,	525.
7. GILIMERVS,	
8. LECHVS.	550.
9. VISIMIRVS,	
10. GRACHVS,	605.
11. LECHVS ij	
12. VANDA REGINA,	
13. PREMISLVS.	

AMAR ETT DE  
Liber Quintus.  
IN QVO COMPRE-  
HENDVNTVR EA QVÆ ACTA  
sunt in iis terris à temporibus Caroli Magni ad Ottho-  
nem Magnum simulq; Reges intermedij enumerantur.  
PROOEMIUM.



ONinetur in hoc libro historia Regum Poloniæ, qui interiecti erant temporibus Caroli Magni & Otthonis Magni. Dixi autem supra hunc omnium apertissimum ordinem ad memoriam ius uandam & fastidium ex lectione leuandum. Imperatoribus enim Regnantibus qui MAGNI dicti sunt magnæ aliquæ mutationes in Rebus Publicis eueniebant, ut iam dictum est. Sic quoq; Carolo Magno imperante, Imperium Romanum translatum est à Græcis ad Gallos vel Francos, quod sane absque magnis motibus fieri non potuit.

LESCVS SECUNDVS.

705.

LESCVS TERTIVS.

775.

POPIELVS SENIOR.

784.

POPIELVS IVNIOR,

790.

PIASTVS.

ZIEMOVITVS.

906.

LESCVS QVARTVS,

921.

ZIEMOVITVS.

960.

Liber Sextus.  
IN QVO COMPRE-  
HENDITVR HISTORIA REGNI  
Poloniæ à temporibus Otthonis Magni, usque ad Cas-  
miri Magni Regis Poloniæ tempora.

PROOEMIVM.

**A**SSIGNauī & posui terminos His-  
toriæ huius præstantissimos illos sex  
Príncipes, qui iuxta Eczochin Ma-  
gni dicuntur. Et iam confecimus hi-  
storiam Regum, qui interiecti erant inter tempora  
Carolí Magni & Otthonis Magni. Restat perfi-  
ciendum à temporibus Otthonis Magni ad Cazi-  
mírum Magnum, hoc est, per annos 290. Tunc  
enim rursus Imperium à Gallis ad Germanos tran-  
slatum fuit, tunc Hungarí duce Geisa magnos mo-  
tus ædiderunt, tunc Poloni & cum his Pannonijs as-  
liæcę Slauonicæ nationes religionem Christianam  
sunt amplexæ. Iamcę appetit finis milenarij ab  
aduentu Saluatoris.

D

MIESCO

MIESCO CHRISTIANus factus,	999.
BOLESLAVS CHOBRI.	1025.
MIECISLAVS IVNIOR.	
CAZIMIRVS PRIMVS.	1028.
BOLESLAVS SECUNDVS.	
VLADISLAVS BOLESLAI.	1134.
BOLESLAVS CRISPVS.	
MIECISLAVS SENEX TER.	
CAZIMIRVS.	
LESCVS ALBV.	1194.
WLADISLAVS LASCO <sup>n</sup> ogus.	1226.
LESCVS ALBV.	
BOLESLAVS PUDICVS.	
LESCVS NIGER.	1279.
LOCTICVS PREMISLV.	1289.

OGLIM

# Liber Septimus.

## IN QVO COMPRE-

HENDITVR HISTORIA POLO-  
nica incipiens à temporibus Cazimiri Magni Regis Poloniae, usque ad  
Stephani Magni tempora, sub quo hæc in lucem adiuntur.

### PROOEMIUM.

 AM omnes videre possunt, quām aptē  
hæc distinctio librorū huic historiæ qua-  
dret. Quod autem à Cazimiro Magno se-  
ptimus liber incipiatur causa est, non mo-  
do quòd Poloniæ Regnum ad interitum  
spectare incipiens, ob dominorum plura  
litatem, quorum discordijs distractum, & in multas por-  
tunculas diuisum, rursus in unam Monarchiam reunis-  
tum est: Sed etiam quod ab hoc Rege legibus reforma-  
tum, pacis artibus recreatum, muris & varijs munitionis  
bus instauratum fuit, quo nomine Magnus ut vocaretur  
meruit Cazimirus.

CAZIMIRVS MAGNVS.

1333.

LVDOVICVS.

1370.

WLADISLAVS IAGELLO.

1377.

WLADISLAVS iii.

CAZIMIRVS QUARTVS.

IOANNES ALBERTVS.

ALEXANDER.

SIGISMUNDVS.

SIGISMUNDVS AVGVSTVS.

HENRICHVS GALLVS.

STEPHANVS HVNGARVS. D 2

# Liber Octauus.

## IN QVO SERIES RE RVM GESTARVM SVB STE phano inclyto Rege Poloniæ proponitur.

### PROOEMIUM.



CRIPTOR Poloniæ historiæ nostræ  
ætatis, cum res Sigismundi Primi per  
sequi vellet, pro historia funebrem o-  
rationē, in qua multa quæ in demon-  
stratio genere fieri solent proponuntur inseruit.  
Huius ego exemplum imitatus, non iam funebrem  
orationem, viuīt enim Stephanus Rex, ac ut quam  
diutissime viuat optare omnes debemus: sed orati-  
onem pro lege electionis ipsius, & triumphum vi-  
ctoriarū quas pro salute & incolumentate huius Rei-  
publicæ dimicando obtinuit inserui. Ex horum pri-  
ore libello initia regni eius, ex posteriore rerum se-  
cundo prælio gestarum narratio intelligi facile po-  
terit, interea dum plenior historia elaboratur, cuius  
hic in fine notas quasdam subiicere placuit. Res cer-  
te maximas

te maximas breui tempore consecit, Rem Publicam Polonam intestinis motibus labefactatam, suo ex Hungaria aduentu pacatam reddidit, iusticia ut iugiter administraretur tribunal amplissimi iudicij erexit, hostes Regni profligauit, amissa recuperavit, septentrionem domuit, & vectigalem reddidit. Itaque nunc rogationem ad vos facio Quiritates nominis Polonici, ecquid ad huc desideratur quomodo nus à me inter hos maximos Principes vobis apud plaudentibus & fauentibus reponatur?

## Paratitla historiæ interregni primi.

Mors Augusti Sigismundi Regis Knyszyni mensis Iulij, die 8. vbi & primus processum conuentus.

Conuocatio in Masouia in quodam pago, vbi concertatio orta de potestate Archiepiscopi Gnesnensis tempore interregni.

GENERALIA comitia Procerū & equitum Warsauiæ ad Camenum, causa eligendi Regis, Vbi aderant oratores Pon-

1572.

1573.

tificis & imperatoris Romanorum, Suecorum Regis, & aliorum Principum. Vbi etiam Confœderatio inter Catholicos & Evangelicos constituta. Oratores in Gallias missi ad ducendi in regnum noui Regis gratia.

Aduentus Henrici Regis Cracouiam, 1574.  
mense Februario.

Dissessio eius è Regno. Expostulatio Ponorum acerba quod silenti agmine discesserit. Ita tum Henricus Rex summo abiit magistratu,

## Paratitla historiæ interregnī secundi.

Conuocatio Warsauiensis & Steziciensis. 1575.  
Comitia Warsauiensia electionis nouæ gratia à me scripto publico celebrata. Interfui enim omnibus & vidi.

Conuentus Andreiouensis Cracoviensisq.

Aduentus Reginæ Annæ Cracouiam.

Aduentus

Aduentus Stephani Batorij Regis de 1576.  
clarati, ex Pannonia Cracouiam mense  
Aprilí die Paschatis.

Expedítio Regis in Prussiam ad pacan-  
dos motus.

Comitía Torunensia & Varsauensia.

Expedítio Gedanensis & pugna Der-  
sauiensis. 1577.

Expedítio Polocensis contra Moschos,  
arces recuperatae, prouinciae subactae.

Expedítio Velicolucana, arces captæ, 1580.  
prouinciae subactæ.

Expedítio Plescouiensis, arces captæ, 1582.  
prouinciae subactæ.

Liuonia in potestatem redacta. Transla-  
tio inter Regem & Moschum, inducīæ  
decennales.

Valachis compedes inlectæ. Palatinus 1582.  
corum captus à Polonis, & ex eo Leopoli  
extremum supplicium sumptum.

Comitía Varsauensia. quæ vt fausta 1582.  
sint & salutaria Républicæ Polonæ, faxit  
Deus Optimus Maximus, Protector hu-  
ius amplissimi Regni.

Fiat.

Elia

Elia